morti proximior, excepto eo modico interuallo, quod exigitur ad hoc, vt quod lentum est paululum exsiccetur, & ficabile euadat: vnde & Ptisana, & alica, & panis lotus, & oriza, & ferculum è seminibus peponum debent fieri ex his, quæ dudum, & non longe tempore deglubata sunt. In pane autem obseruandum, vt loco eius sit recens. Panis enim sic coctus à coctione initium sumit, velut à mola reliqua. Illa enim tum primum intereunt, panis formam aliam subit, & ab eo tempore inueteraſcit: secundum fuit quod vnumquodque æstimari debet & reponi sub eo nomine, sub quo repositum est ab authore, describente illius vires: aut proximo eius tempori; & qui eadem lingua vteretur. Ideo omnia erunt interpretanda ex sententia Hippocratis aut Galeni: & propinquiorum Hippocrati quidem Theophrastus, post Dioscorides Galeno Oribasius. Tertium vt sciamus non omnia omnibus conducere: sed vt Ptisana acutis vtilissima est, sanis corporibus mala (loquor de hordeacea) ita diuturnis morbis medio modo se habet. Et pro natura eorum velut hecticis vt febrem patiuntur idonea, vt nutrimento solidiore egent, parum congrua, in hectica senectutis prorsus mala.

Dico igitur Ptisanam Hippocratis nil aliud recepisse quam hordeum & aquam, quoniam quæ de illa protulit & soli conueniunt: Neque si aliud esset ei necessarium, id silentio præterijssent. In *libro etiam de affectionibus* licet non sit suus inquit, sorbitiones in morbis dato Ptisanam, aut milium, aut alicam, aut farinam: & quæcunque ex his dederis, ad secessum tenuia dato, & percocta, & dulciora potius quàm calidiora aut salsa. Quæ vero ad robur crassiora, piguiora, moderatè cocta, vt salsis aut acribus aut calidis locus nullus relinquatur. Et infra, dum Ptisanæ conditiones refert, solius hordei & coctionis meminit, non aliæ alicuius rei. Hæc igitur sola est, quæ conuenit in morbis acutis, qui cum febre vehementissima sunt. Cremore autem si quando contingat vti, etiam Galenus ostendit *Octauo methodi*. Ptisana autem Galeni recipit, postquam intumuerit, acetum, cum verò cocta fuerit, salem tenuem: addit autem & oleum ab initio, nec id vnquàm reijcit, existimans ad coctionem prodesse. Admittit nonnunquam anethum & porrum. Idem quoque repetit infra dicens, sed solo porro anethóque sit contenta. In *Quinto* autem *de tuenda sanitate* præparat Ptisanam pro senibus, cum pipere. Dicebat in libro *de Attenuante victus ratione* piper Ptisanæ adijci debet, quia detergeat validius: melli autem iungi non debet, nisi in pectoris affectibus, quoniam nocet iecori & lieni. Collaudat autem vt Ptisanæ hordeaceæ in regimine sanorum, pedes suilli coquantur, vt tam Ptisana quam pedes meliores reddantur, *Primo & Tertio de Alimentis*. Cum autem in *Tertio decimo Methodi* agens de iecinoris inflammatione dicat, quod Ptisana detergit absque morsu, de Ptisana pura intelligit. *In Decimo quoque Methodi* dicit Ptisanæ cremorem constare illis quinque, oleo, sale, aceto, anetho & porro, & agit de hecticorum cibo. Galenus quoque infra pisces petrosos condit eodem iure, quamuis laterali morbo laboranti exhibeat, quam ob causam solum amittit in eius confectione (album enim ius vocat) acetum. Oribasius *in Quarto synopseos* ea habet quæ.....

Cætera desiderantur.